

autem credo his qui dicunt tres esse: unam quidem apud Ioannem ante sex dies paschæ, quæ & soror fuit Lazari: aliam autem apud Matthæum & Marcum, ante duos dies paschæ, & tertiam illam de qua nunc Lucas, quæ in media Euangelij prædicatione dominum unxit. Neque mirum est, quod illa ante passionem hoc fecerit: & deinde illæ uel ad huius imitationem, siue alia de causa circiter passionem idem fecerint. Quauis autem & is qui apud Matthæum commemoratur, & cuius nunc fit mentio, eodem Simonis nomine uocetur, haud mirum fuerit. Sæpe enim multi idem nomen sortiuntur. At ille fuit leprosus, sed hic non. Et ille quidem sanatus à lepra in gratiarum actionem uocauit dominum, hic autem neque leprosus, neque gratias referens: & ille quidem nihil dixit, hic autem obmurmurauit, & condemnauit in hoc tam Iesum quam mulierem: hanc ut peccatricem, illum ut misericordem. O arrogantiam. Vere phariseus homo. Sed dominus rogans illum in parabolis, in medium producit debitores duos, latenterque & illum debitorem esse insinuat. Et parum quidem debere uidebatur, sed non parum debebat. Itaque neque tu potes dare etiam minus debitum: non enim habes confessionem superbia inflatus, neque mulier. Vtrisque igitur remittitur. Et uter plus diligit? omnino cui multa dimissa sunt, & quam hæc dixisset, obmutescere fecit arrogantem.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui exterxit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittantur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittant tibi peccata. Et ceperunt qui simul accumbabant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua saluam te fecit, uade in pace. Ostendit dominus Simonem & arrogantem & insipientem fuisse. Arrogantem quidem ac contumeliosum: quando quidem etiam ipse homo existens, hominem propter peccata condemnabat. Insipientem uero, quando quidem non cogitabat quanta fidei & charitatis signa illa præ se ferret. Oportebat illam suscipere, non repellere. Idcirco reprehendit eum dominus, utpote condemnantem eam quæ tanta fecit, quanta nec ipse, immo longe inferiora fecit Simon, quasi diceret: Tu quidem neque aquam ad abluendum puluerem pedum proposuisti, illa autem lachrymis rigauit. Tu faciem meam non es deosculatus, illa & pedes meos deosculata est. Tu item neque oleum, illa uero unguentum effudit. Vnde quia dixisti quod non sim propheta, ex eo quod non cognouerim hanc esse peccatricem: ecce reprehendo ea quæ in corde tuo, ut cognoscas quod sicut occulta tua scio, multo magis illa sciam quæ & multi alij sciunt. Remittantur igitur peccata illi, qui dilexit multum, hoc est magnam præ se tulit fidem. Denique & qui simul accubuerant, etiam ipsi obmurmurant, non cogitantes quod iam ad Simonem dixerat, & uerisimiliter dictum & ad ipsos. Dominus uero comprimens murmur illorum, & ostendere uolens, quod sua quæque fides saluum faciat, non dixit, Vade mulier, ego te seruo: ut ne maiori inuidia capiantur: sed, fides tua. Hoc dixit, ut dicebam, tum quod inuidiam illorum minueret, tum ut & illos ad credendum induceret discentes, salutem ex fide esse. Cæterum quod inquit, Vade in pace: hoc est in iustitiam, pax enim iustitia est, sicut peccatum inimicitia cum deo. Vide autem, quod postquam remisit ei peccata, non contentus est remisisse peccata, nisi adieciisset & operationem boni. Vade in pace, id est fac ea quæ te deo conciliant.

CAPVT VIII.



Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per singulas ciuitates & castella, prædicans & annūcians regnum dei: & duodecim cum illo, simulque mulieres aliquæ, quæ erant sanatæ à spiritibus malis, & infirmitatibus: Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant: & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & alie multe quæ ministrabant eis.

bant eis de facultatibus suis.] Qui coelitus descēderat, ut figura & exemplar fieret nobis in omnibus, docet nos ne pigri simus ad docendum, sed circumeamus per omnia loca & prādicemus. Quaecūq; enim fecit, in admonitionem nostri fecit. Transijt itaque per singulas ciuitates & castella, duodecimq; discipulos cohibuit ne docerent uel prādicarent: sed ut discerent à se, & postea docerent tam ea quæ docuerat, quàm quæ fecerat. Porro prādicauit dominus non bona terrena, sed regnum coelorum. Et quem aliū decussit prādicare superna, quàm eū qui è supernis descēdit? Idcirco & nullus prophetarum regnum coelorum prādicauit. Quæ enim nō uiderant, quo pacto prādicassent? Propterea & prācursor dicebat: Qui de terra est, de terra loquitur: qui è supernis uenit, quod uidit testatur. Sequit̃ autem sunt eum mulieres, ut discas quod neq; foeminas sua infirmitas à comitatu Christi phibet. Vide item, quomodo & quæ diuites erāt, nas sua infirmitas à comitatu Christi & pro Christo delegerunt. Nam quod omnibus neglectis, paupertatem cum Christo & pro Christo delegerunt. Nam quod diuites fuerint, audi: Quia ministrarunt domino de facultatibus suis, non de alienis opibus, & iniuste partis, uti multi solēt. Iam per septem dæmonia quæ de illa eiecta fuerūt, quidā intelligunt multa. In scripturis enim pro multis septē accipi solet. Fortassis autē dixit quis, quod sicut sunt septem spiritus uirtutis, ita sunt ediuerso septem spiritus malitiæ: ut sicut est spiritus timoris dei, ita & ediuerso spiritus contemptus dei & impietatis. Est spiritus intellectus, est ediuerso spiritus hebetudinis intellectu carētis: & sic de alijs. Itaque nisi eiiciantur septem spiritus malitiæ ab anima, non potest quis sequi Christum. Oportet enim primum eiici dæmonem, & tunc inhabitare Christum.

Quum autem turba plurima conueniret, & è singulis ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui sementem faciebat ad seminandum semen suū, & inter seminandum, aliud cecidit circa uiam, & conculcatum est, & uolucres coeli comederunt illud. Et aliud cecidit super petram, & enatum aruit: quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul enatæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonā, & enatum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, dicentes: quæ esset ista parabola. At ille dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni dei, cæteris autem per parabolas: ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.] Nunc tandem euenit, quod olim Dauid in persona Christi dixit: Aperiam, enim inquit, in parabolis os meum. Loquitur itaq; per parabolas dominus, propter multa. Nempe ut attentiores reddat auditores, & excitet illorum mentem ad inquirēdum de his quæ dicta. Solent enim homines curiosius inuestigare de his quæ dicta sunt obscurius, manifesta autem negligere: & ut indigni non intelligant quæ abstrusius sunt dicta: atq; propter multa alia in parabolis loquitur. Exijt igitur seminans, hoc est filius dei exiuit de patris sinu, & abscondito, & cōspicius factus est. Quis autem exiuit: is qui semper seminat. Filius enim dei non cessat semper seminare in animabus nostris. Non enim solum quando uidetur docere, sed & per mundum istum, & per ea quæ quotidie facit erga nos, seminat in nostris animabus bona semina. Exiuit autem, non ut agricolas occidat, uel agrum exurat, sed ut seminet. Sape enim egreditur agricola & propter alia, non solum ut seminet: sed exijt ut seminet semen suū. Proprius enim eius est, sermo doctrinæ, & non alienus. Prophetæ enim quaecūq; dixerunt, è spiritu dixerunt, & non ut propria: unde & dixerūt, Hæc dicit dominus. Christus uero proprium habet semen, idcirco non dicebat docens. Hæc dicit dominus: sed, ego dico uobis. Seminante autem illo, hoc est docēte, aliud qui dem cecidit circa uiam: non dixit, quod proiecerit seminans, sed quod illud ceciderit. Nā qui seminat, seminat & docet, sermo autem cadit in audientes. Hi autem inueniuntur esse uel uia, uel petra, uel spinæ, uel terra bona. Cæterum discipulis interrogantibus parabolam, dicit dominus: Vobis datum est scire mysteria regni dei, hoc est uobis quærentibus ut discatis. Omnis em̃ qui petit, accipit. Reliquis uero qui sacramentis indigni sunt, obscure dicuntur: & existimant quidem se uidere, sed non uident: & audiunt quidem, sed non intelligunt. atq; hoc in illorum bonum: ne enim magis condemnentur, quod cognita mysteria spreuerint, ideo ab illis ea Christus abscondit. Qui enim cognoscit, &

Ioan. 3.

Psal. 77.

contemnit, grauiora meretur supplicia.

Est autem hæc parabola. Semen est sermo dei: qui autem iuxta uiam, hi sunt qui audiunt: deinde uenit diabolus, & tollit sermonem de corde eorum, ne credentes seruentur. Nam qui super petram, ij sunt, qui quum audierint, cum gaudio suscipiunt sermonem: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, nec referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde honesto ac bono audientes sermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam.] Tres hic ordines eorum sunt, qui non seruantur: nam hi qui secus uiam, neutiquam suscipiunt sermonem. Sicut enim uia conculcata & lutulenta semen non suscipit, eo quod dura sit: ita & obdurati corde sermonem non suscipiunt, etiā audientes: non attendunt enim. At qui per petram intelliguntur, suscipiunt quidem, sed præ infirmitate humana marcescunt. Tertij sunt, qui quum audierunt & susceperunt, præ curis uitæ huius suffocantur. Igitur tres quidem partes eorum sunt qui pereunt, una autem eorum qui saluantur. Ita pauci quidem sunt qui seruantur, plures autem qui pereunt. Vide item quum de his qui suffocantur loquitur, quomodo non dicit, quod præ diuitijs suffocentur, sed præ curis diuitiarum & sollicitudinibus. Non enim diuitiæ nocent, sed sollicitudines earum. Multi enim magna commoda ex diuitijs percipiunt, illas in pauperum uentres proijcientes. Consydera quoque & diligentiam Euangelistæ, quomodo dixerit de his qui saluantur, quod auditum sermonem retineant. Hoc enim dixit propter eos, qui per uiam intelliguntur, sed diabolus tollit ab eis sermonem. & quod fructum afferant, dixit propter eos qui suffocantur, & qui non perdurant usque ad finem. Illi enim fructum non afferunt, qui non perseuerant usque ad finem. Porro quod dicit in patientia, dixit propter eos qui super petram, qui suscipiunt quidem sermonem, non sustinent autem tentationis insidias, & comprobantur reprobj. Vides quomodo dixerit de his qui saluantur, quod retineant, & fructum faciant, atque id in patientia, & per tria distinxit eos: ab his qui non retinent, & hi sunt qui iuxta uiam: ab his qui non perdurant, & hi sunt qui inter spinas: ab his qui non sustinent tentationis insidias, & hi sunt qui super petram.

Nemo uero quum lucernam accenderit, operit eam uase, aut subter lectum ponit: sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestum sit futurum: nec absconditum, quod non sit cognoscendum, & in propatulum uenturum: uidete ergo quomodo audiat. Quisquis enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab eo.] Hoc loco alterius doctrinæ initium est. Ad discipulos enim sermonem dirigens, hæc dicit, inducens eos ad sanctæ uitæ diligentem custodiam: & instruens ut semper in agone sint ac certamine, utpote ab omnibus despiciendi. Qui enim docet ac prædicat, ab omnibus contemnitur, ab omnibus dijudicatur, num honestus sit: & nihil quod facit occultatur. Vos igitur o discipuli bene uobis attendite, & studiosi estote: dabit enim uobis maior gratia à deo. Qui uero non adhibuerit studium & attentionem, etiam si quam gratiam habet à deo, amittit & extinguit.

Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba, & nunciatum est illi, dictumque: Mater tua & fratres tui stant foris, uolentes te uidere. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem dei audiunt, ac faciunt illum.] Hoc loco ostenditur, quod non fuerit cum carnalibus cognatis Christus. Illis enim relictis, spiritali uacabat doctrinæ, unde illi ad eum accedunt. Sic etiam oportet, ut omnes quibus concreditum est ministerium dei, nihil illo antiquius habeant uel præferant. Sunt item & parentes repellendi, siquidem absque utilitate & fructu in opere dei nos impedituri sunt, quemadmodum & nunc dominus facit. Quia enim dixerant illi, quidam de cognatis eius, ipse fraternitatem non in paruo numero claudit. Nec filijs Ioseph hunc honorem dat, ut soli sint fratres: sed quia uenit totum mundum seruare, & omnes fratres facere dicit: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem dei audiunt. Deinde quia non saluat solus audire uerbum, si non & seruet in animo, sed magis con-

demnat

demnat, dicit: Et faciunt illum. Oportet igitur audire & facere. Porro sermonem dei, suam doctrinam uocat. Quaecumque enim ipse dicebat, patris sui erant: cui non fuit aduersarius, ut dicat quæ dei non sunt. At plerique locum hunc sic intelligunt, quod quidam irriserint Christum docentem, & ob doctrinam suam factum admirabilem, per inuidiam dixerint: Ecce mater tua & fratres tui stant foris, cupientes te uidere. Quia mater sua uidebatur uilis esse, & fratres eius obscuri, utpote fabri filij: & idcirco quasi ignobili, matrem eius & fratres, irridendo obijciebant. Proinde sciens cogitationes eorum. Quum nihil (inquit) mihi noceat ignobilis cognatio, quanto magis si quis ignobilis fuerit, & me audierit, ipsum cognatum meum facio?

Factum est autem quodam die, & ipse ascendit in nauim, & discipuli eius, & ait ad illos: Traiciamus in ulteriorem ripam stagni: ac soluerunt. Caterum nauigantibus illis, obdormiuit: & ingruit procella uenti in stagnum, & complebantur ac periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum dicentes: Præceptor præceptor, perimus. At ille excitatus, increpauit uentum ac tempestatem aquæ, & cessauerunt, factaque est tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi est fides uestra? Timentes autem mirati sunt inter se dicentes: Quis putas hic est, quia uentis quocumque & aquæ imperat, & obediunt ei? Exercens discipulos dominus, eorumque fidem examinans, num in tentationibus suis imperterriti sint, singulari quadam dispensatione dormit, arguitque illorum infirmitatem: non enim perfectam fidem, sed infidelitatem mixtam præ se ferebant. Credunt enim quod saluare possint: uerum ut pusillanimes, dicunt: Salua perimus. Si enim perfectam habuissent fidem, satis fuissent certi, impossibile esse perire illos præsentem eo qui omnia ualeat. Excitatus autem increpauit uentum. Permisit uero eos turbari, ut clarior fieret sua uirtus. Solent enim homines tunc meminisse eius qui saluat, quando à magnis periculis eripiuntur. Propterea non in principio, sed in articulo periculi excitatus, illos seruauit. Vide autem & anagogiam, quia figura est eius quod postea discipulis euenit. Stagnum enim est ludæa, in qua tempestas orta, propter insaniam ludæorum qui crucifixerant dominum. Turbati uero sunt & discipuli, nam illo relicto fugerunt: sed excitatus est dominus à somno, hoc est surrexit. Vnde reddita discipulis tranquillitas, uenit enim ad eos, ac dixit: Pax uobis. Et hæc quidem per anagogiam. Quod autem dicit: Quisnam hic est? non ut dubitantes dicunt, sed admirantes, quasi sic dicerent: Quis hic est, hoc est quætu & qualis, & in quantapotentia & uirtute hæc facit?

Et nauigauerunt ad regionem Gadarenorum, quæ est contra Galilæam. Et quum de nauis egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam à ciuitate, qui habebat dæmonem iam temporibus multis: & uestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is ut uidit Iesum, & exclamasset, præcidit ante illum, ac uoce magna dixit: Quid mihi rei tecum est Iesu fili dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Frequenter enim corripuerat illum, & uinciebatur catenis, & compedibus custodiebatur: & ruptis uinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio. Quia intrauerant dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum, ne imperaret ipsis, ut in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret ipsis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceptum in stagnum, & suffocatus est. Vide dæmonem duabus malis affectionibus teneri, audacia & timore. Nam quod dicit, Quid mihi & tibi: audacis & impudentis serui. Quod uero dicit, Obsecro te: timentis est. Habitat autem in monumentis, ut malam suspicionem ingeneret hominibus, quod animæ morientium dæmones fiant. Porro permittunt dæmones, ne in abyssum ingrediantur, sed in terra permittantur ultra uersari: & dominus permittit illos esse in terra, ut certamen habeant cum hominibus, & probatiores illos reddant. Nam si non essent aduersarij, neque coronæ essent. Disce & quiddam sublimioris anagogiæ. Quisquis habet intra se dæmones, hoc est opera dæmoniaca, ueste non indutus, caret enim stola quam in baptismo accepit: & in domo non manet, hoc est in eccle-

fia. Indignus enim est qui ingrediatur in ecclesiam, sed in monumenta, hoc est in mortuorum operum receptacula: ut in prostibula & telonia, & alias scelerum officinas & monumenta.

Porrò ut uiderunt quod acciderat ij qui pascebant, fugerunt, rumoremq; nunciauerunt in ciuitatem ac uillas. Exierunt autem ut uiderent quod factum erat. Et uenerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, uestitum, ac sana mente, ad pedes Iesu, & timuerunt. Nunciauerunt autem illis etiam qui uiderat quomodo sanus factus esset is, qui agitabatur à dæmonio. Et rogauerunt illum omnis multitudo Gadarenorum, ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebatur. Ipse autem concessit naui reuersus est. Rogauerat enim illum uir à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset: sed ablegauit eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quæcunq; tibi fecerit deus. Et abiit per totam ciuitatem, prædicans quæcunq; sibi fecisset Iesus.] Fuga pastorum Gadarenis occasio salutis erat, sed illi non intellexerunt. Oportebat enim mirari uirtutem saluatoris, & credere ei: at illi rogauerunt (inquit) Iesum, hoc est obsecrauerunt ut ab ipsis recederet. Timuerunt enim ne quo pacto etiam aliud damnum paterent, quandoquidē porci perissent. At sanatus ille indicibile quoddā sanitatis indicium ostendebat. Ita enim corde sanatus est, ut & Iesum agnosceret, orans ut sibi cū illo esset liceret. Etenim, ut apparet, timebat ne forte elongatus à Iesu à dæmonibus iterum inuaderetur: sed dominus indicat ei, quod licet nō sit secū, gratia tamē eius protectus, dæmoniacis insulibus superior fiat. Redi (inquit) in domum tuam, & narra quæcunq; tibi fecerit deus. Non dixit, quæcunque ego tibi fecerim: figuram nobis humilitatis tradens, ut omnia bona nostra opera tribuamus deo. Erat autem ille gratus, ita ut narraret quæcunq; fecisset ei Iesus. Nam dominus quidem præceperat ei, ut narraret quæcunq; fecerat ei deus: at is narrat quæcunq; ei fecerat Iesus. Oportet igitur & nos quādo cuiuspiam benefacimus, nolle hoc prædicari; at illum qui beneficio affectus est, etiam nolentibus nobis prædicare decet.

Factum est autem quum rediret Iesus, excepit illum turba: nam omnes expectabant eum. Et ecce uenit uir cui nomen lairus, & ipse princeps synagogæ erat: acciditq; ad pedes Iesu, rogans eum ut intraret in domum suam: quoniam unica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebat. Verum inter eundem, turbæ coarctabant eum. Et mulier quæ erat obnoxia profluuiō sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem substantiam, nec ab ullo poterat curari, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, & confestim sistebatur fluxus sanguinis eius.] Rediit quidem Iesus à regione Gadarenorum: expectabat autem illum turba, tum propter doctrinam, tum propter miracula. Accessit item & princeps quidam synagogæ, non uulgaris neq; abiectus, sed ex primis. Apponit autem & nomen illius Euangelista, ut notius fiat miraculum, quod uere factum sit. Accidit autem ad pedes Iesu, urgēte necessitate, quamuis sine illa oportebat procidere & agnoscere deum esse Iesum, attamen & afflictio cogit homines, ut meliora sectentur, unde & Dauid dicebat: In chamo & freno maxillas eorū constringe, qui non approximant ad te. Porrò mulier in transitu accedit, ampliorem asserens fidem. Accedens enim tangebatur fimbriam uestimenti eius, bona spe, & certa fide, quod si tantum contingeret, saluaretur. Et statim stetit fluxus sanguinis eius. Sicut si quis afferret oculum ad lumen lucens, uel stipulam ad ignem, statim operationem illorum experirentur: ita & illa asserens fidem ad eum qui sanare poterat, statim sanitatem adepta est: neq; enim cogitabat uel diuturnitatem morbi, uel desperationem medicorū, uel aliud quiddam, sed credidit tantum, & saluata est: & ut uidetur, prius tetigit Christū mente, & de corpore.

Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negatibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te constringunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis: nam ego noui uirtutem à me exisse. Vidēs autem mulier, quod non latuisset, tremens uenit ac procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigisset eum, indicauit ei coram toto populo: & quemadmodum confestim sanata fuisset.

isset. At ipse dixit ei: Confide filia, fides tua te seruauit, uade cum pace. Dominus uolens etiam mulieris fidem omnibus manifestam fieri, ut imitatores eius fierent, & laudem maiorem spem de salute filiolae suae capere, quod clam factum erat manifestat, & quare quidem quis ipsum tetigerit. At Petrus audacter ob interrogationem hanc eum reprehendens, dicit: Tu te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Non intelligebat autem quare Iesus interrogaret. Iesus enim interrogat, Quis me tetigit, cum fide, & non ita simpliciter. Nam sicut quis habet aures audiendi, alius uero aures habet, & non audit: ita alius quidem tangit cum fide, alius autem appropinquat quidem pedibus, corde autem procul est. Rogat igitur dominus, non ignorans factum mulieris, sed id quod dicebam, ut & fidem eius alijs monstraret, & principi synagogae spem bonam faceret. Rogat, & spectabile facit mulierem. Noui enim (inquit) uirtutem exisse a me. Merito. Prophetarum enim non habebat uirtutem de se egredientem, sed gratia dei operabatur miracula: Iesus uero quum fons esset omnis boni & omnis uirtutis, habet & uirtutem a se egredientem. Nam dupliciter mulierem sanat dominus, primum quidem morbum eius sanando, deinde timorem animae eius tollens, per hoc quod dixit, Confide filia.

Adhuc illo loquente, uenit quidam a domo principis synagogae, dicens ei: Mortua est filia tua, noli uexare magistrum. Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puellae: Noli timere, crede tantum, & salua erit. Et quum uenisset in domum, non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem ac matrem puellae. Flebant autem omnes & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse autem eiecit foras omnes, apprehensa manu eius clamauit, dicens: Puella surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo, ac iussit illi dari cibum. Et stupuerunt parentes eius. At ille praecipit eis, ne cui dicerent quod factum erat. Iesus ut audiuit, quod dixit quidam ad archisynagogum: Ne uexes magistrum, hoc est, ne facias negocium, ne adduc illud: non expectauit ut princeps synagogae sibi loqueretur, sed praue nit eum, ne forte diceret archisynagogus: Non opus habeo te: iam enim malum factum est, mortua est, quam sperabamus a te sanandam. Igitur ne quid tale diceret, incredulus enim erat & Iudaeus, praue nit illum Christus dicit: Ne timeas, tantum crede: respice ad mulierem hanc quae sanguinis profluuio laborauit, illam si imitatus fueris, non aberrabis. Ceterum ex discipulis tantum intrare secum permisit Ioannem & Iacobum, et Petrum, ut discipulorum praecipuos, & taciturnos: nolebat enim hoc miraculum ante tempus reuelari multis, ne inuidia succenssi, iudicii fierent rei. Hunc in modum & nos quoque facere oportet, quando quis nobis inuidet, ne aperiāmus ei nostra bona opera, sed curemus ut ignoret. Quum autem dominus diceret, non est mortua, sed dormit, & uocaret mortem somnum, eo quod mortuam quasi ex somno suscitaturus esset: deriserunt eum audientes, ut iterum aliquid accederet miraculo. Ut enim postea dicerent possint, quod non sit mortua, sed dormierit, propter hoc permisit ut prius derideretur a dicentibus, Non est mortua, sed dormit: ut obturarentur ora uolentium calumniari. Vnde adeo enim certa erat mors, ut deriderent dicentem: Non est mortua. Eiecit autem foras omnes, fortasse docens nos carere inanis gloriae studio, & nihil ad ostentationem facere: fortasse autem & docens, quod facturus miracula, non in medio multorum illa facere, sed solus, & non impeditus esse debeat. Rediit igitur spiritus puellae: non autem aliam animam induxit, sed eam quae a corpore auolarat, iterum in ipsum redire fecit. Praecipit autem, ut ei cibum darent, quo confirmaretur fides ac ueritas quod illa resurrexisset. Posset etiam & sic intelligi: Sanguinem profluens, est omnis anima scaturiens cruentum peccatum & sanguinarium. Omne enim peccatum homicida est, & occisor animae. At si anima contigerit uestem, hoc est incarnationem Iesu, & crediderit quod incarnatus sit filius dei, sanctificabitur. Et si quis fuerit princeps synagogae, hoc est mens quae praest multos per cupiditatem & habendi studium congregatis, & agrotantibus filia eius, cogitatio scilicet: tantum inuocet Iesum, & credat, ac saluabitur.